4

51

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
QUAEDAM
DE
DYSENTERIA
INDIAE ORIENTALIS
COMPLECTENS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS M'KINNAL,

Scotus,

COLLEG. REG. CHIRURG. EDIN. LICENTIAT.

NECNON

IN CLASSE BRITANNIARUM REGIA

CHIRURGUS.

Vita brevis, ars longa, occasio praeceps, experientia fallax, judicium difficile. *Hippocrates.*

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT DUN. STEVENSON ET SOCII.

MDCCCXVIII.

HONORABILI

ROBERTO STOPFORD,

EQUITI BALNEI,

VIRO

NOBILI STIRPE

ORTO;

CLASSIS BRITANNIARUM REGIAE, QUAE

VEXILLO ALBO IN ALTUM MALUM ANTICUM

EVECTO OBEDIT,

PRAEFECTO;

NUPER

APUD AFRICAM AUSTRALEM DUCI PRAEFECTOQUE

CLASSIS LAUDATO;

OMNIBUS, QUAE DUCEM FACIUNT ET ORNANT,

PRAEDITO;

PROPTER FACULTATES INGENII, MAXIMAMQUE

HONESTATEM ET DIGNITATEM

SEMPER HONORANDO;

OB BENEFICIA PLURIMA IN SE COLLATA,

HOCCE OPUSCULUM,

TESTIMONIUM EXIGUUM QUIDEM, SED SINCERUM

GRATI ANIMI,

SUMMA CUM OBSERVANTIA

DAT CONSECRATQUE

ROBERTUS M'KINNAL.

ERRATA.

In P. 7, l. 6, *pro* irregulares, *lege* inaequales.
— 8, — 13, *pro* subsequntur, *lege* subsequuntur.
— 11, — 17, *pro* irregularis, *lege* inaequalis.
— 14, — 18, *pro* mysentericae, *lege* mesentericae.
— 15, ‡ *pro* Claqk, *lege* Clark.
— 18, — 3, *pro* Sectiones, *lege* sectiones.
— 26, — 7, *pro* Cadeverum, *lege* Cadaverum.
— 27, — 3, *pro* opthalmia, *lege* ophthalmia.
— 28, — 10, *pro* mysentericorum, *lege* mesentericorum.
——— 21, *pro* mysentericis, *lege* mesentericis.
— 29, — 2, *pro* glaudularum, *lege* glandularum.
——— *pro* mysentericarum, *lege* mesentericarum.
——— 18, *pro* mysentericarum, *lege* mesentericarum.
— 33, — 19, *pro* mysentericis, *lege* mesentericis.
— 34, — 2, *pro* precipue, *lege* praecipue.
— 37, — 26, *pro* mysentericae, *lege* mesentericae.
— 38, — 25, *pro* affectus, *lege* effectus.
— 40, — 9, *pro* buidem, *lege* quidem.
— 41, — 4, *pro* Rhaci, *lege* Rhei.
——— 25, *pro* tres, *lege* tria.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

QUAEDAM

DE

DYSENTERIA

INDIAE ORIENTALIS

COMPLECTENS.

AUCTORE ROBERTO M'KINNAL.

Dysenteria, in multis orbis terrarum regionibus, non solùm militibus et nautis, sed etiam aliis, quacunque in re versatis, saepe morbus infestissimus est; et in India nostra Orientali, cùm ob viscerum abdominis obstructiones atque vitia, quae eam saepenumero comitantur, aut insequuntur, tum ob magnam et infaustam ad recidivam propensionem quam generat; tum quoque ob strages quas edit, attentionem ibi loci medicinam facientium haud immerito sibi vindicavit.

DE

DE HISTORIA MORBI.

Hic morbus, de quo in animo est pauca disserere, alios alio modo adoritur.

Dysenteria haud raro formâ diarrhoeae homines invadit. Alvus fit justo liquidior, ejusque excretiones crebriores, et excrementum solito uberius et stercoreum, modo fulvum aut luteum, aut sorde biliosa imbutum; modò magis naturale, vel aquosum est; sed saepe, ineunte morbo, vix cum ullo incommodo stercora dejiciuntur, utpote nautae ita se habentes, haud raro horas, immo interdum dies aliquot, solita et varia munia quodammodo perficiunt. Haud tamen longum post tempus dejectiones fiunt molestiores, et alvi excretà parca, mucosa, vel sanguinolenta, pyrexiâ, aliisque verae Dysenteriae signis comitata. Si cholera neglecta fuerit, vel medicamenta ei aliena, aut contraria adhibita sint, nonnunquam in Dysenteriam convertitur.

Nonnullis in exemplis alvi durities, ventris inflatio insolita, borborygmi, dolor in quadam abdominis parte, aut tormina, nonnunquam etiam nausea et vomitio, appropinquationem morbi denuntiant, cujus impetum, signa praecognita brevi declarant.

In

In aliis contrà tormina et tenesmus, citra febrem, ex improvisò exoriuntur, quae citò assequitur Dysenteria.

Etsi nulla antecedit febris, in exemplis jam memoratis, nonnunquam tamen morbi haec non solum comes est, sed etiam in quibusdam Dysenteriis, uti in ea, quae apud Bengaliam, tempestate morbosa, anno 1768, longè latèque grassabatur, lassitudo, sensus frigoris, horror, anorexia, nausea, vomitio materiae biliosae, et febris remittens, sed praeter consuetudinem mitis, signa Dysenteriae propria, diem, vel biduum, diutiusve praeierunt.*

Quocunque modo Dysenteria homines invadit, brevi tamen in omnibus eadem vel similia signa nobis ostendit. Tunc temporis alvi dejectiones fiunt crebrae, simulque excreta parca, et limosa, modò bile fulva, modò colluvie biliosa variè imbuta, modò albida sunt, et haud raró sanguine sparsim decolorata; et praeterea nonnullis in aegrotis, alvi excrementa, interdum omnino, aut maxima ex parte, ex cruore aut sanguine sincero constare videntur. Quoties ejiciuntur stercora, toties praeter naturam mutata, et plerumque esse naturalibus liquidiora observantur. Est alvi excrementorum odor peculiaris. Singulas dejectio-
nes

* Clark on the Diseases of Long Voyages, &c p 216.

nes praeeunt et comitantur tormina, saepe immania, quae haud raro, alvo exoneratâ, aut intermittuntur, aut laeviora fiunt; sed plerumque cum eodem vel aucto dolore citò redeunt.

Unà cum dejectionibus suprà enumeratis, et torminibus iis annexis, nunquam non adsunt magni ad alvum dejiciendam nisus, quos insequitur frequens, inexplebilis, inanis desidendi cupiditas, quae iterum atque iterum renovatur, saepe summo cum nixu, qui tamen nonnunquam parum omnino exprimit. Arteriae justo celeriores atque frequentiores plerumque micant; in quibusdam pulsus validi aut duri, in aliis plus minusve debiles et parvi, et in nonnullis contra quod ad vim pene naturales sunt. Respiratio fit haud raro celer quoque, et, cum ob dolorem, tum ob singultum, qui interdum adsit, saepe interrupta aut turbata est. Cutis fere sicca est, sudores tamen glutinosi ex quibusdam corporis partibus, praecipue e capite aut collo, interdum erumpunt. Calor plerumque auctus est. Est linguae color albidus aut subflavus. Sitis saepe cum ore amaro haud raró morbum comitatur. Quamquam nonnulli cibum interdum appetunt, prehendunt, devorant, vix nauseant, nihilque evomunt; alii tamen anorexiâ, nausea aut vomitione, nec raro apud scrobiculum cordis

exulcerationis

exulcerationis sensu, quem adauget pressura, afficiuntur.

Abdomen quoque pressura saepe paululùm dolet, nec raròaliquantulùm tumet; et aliquando dolor perpetuus, et plus minusve acutus, hypochondrium dextrum, vel unam aut alteram ventris partem occupat. Urina omni tenesmi aggressione, plerumque reddita, et saepe meiendi dolor, interdum etiam difficultas est. Nonnullis est stupor artuum, ad paralysin usque assurgens, adeo ut brachium dextrum haud raro, ut fertur, vel pars manûs exterior, vel duo solum, vel tres digitorum propriis muneribus impediuntur. Alii contrà spasmis cùm clonicis tum tonicis crurum pedumque torquentur.*

Febris remittens vel intermittens interdum comitatur Dysenteriam, sed plerumque continua et symptomatica est, et raRò, ineunte morbo, ad delirium, vel ad capitis usque dolorem increscit; et non modò non semper est rubor vultûs, sed saepe praeter naturam vultus pallidus aut subflavus est; et in nonnullis exemplis, et his quoque lethalibus, febris, initio morbi, vix aut ne vix quidem in conspectu adstat.

Tam

* Curtis on the Diseases of India, p. 124, 125.

Tam cursus, quam morbi exitus, apud homines diversos multùm distat. Si negligentiâ, aut sui naturâ, aut medicinam facientium imperitiâ morbus fieret acris, tum ingravescit indies malum.

Ventris tormina fiunt magis magisque immania, et tenesmus cum haemorrhoide aut ani procidentia saepe comitatus, paulùm interruptus, et vix quidem tolerandus est. Abdomen fit magis tumidum, et sensus exulcerationis, aut ardor, aut etiam dolor abdominis perpetuus saepe exoriuntur, vel, si haec omnia ab initio ferè morbi extitissent, nunc jam graviora fiunt. Alvi excrementa parca, et mucosa, nunc albida vel subfusca, nunc fiunt magis foetida, nonnunquam quoque membranacea; et haud raro parum aut nihil abest, quin ex sanguine, aut sanie prorsus constarent; et in perraris exemplis totum, vel magna pars recti sphacelo corrupti, atque labefacti, ex improviso dejicitur.* Pulsus celer, frequens, plerumque durus, sed saepe parvus est. Cutis magna ex parte arida et calida est; sudores tamen e capite, aut collo interdum extorquentur. Functiones ventriculi multùm turbatae sunt, saepe cum singultu. Lingua arida, aut sub-fulva, vel crustâ prope nigrâ obvoluta est, simul atque dentes et labra

* Curtis on the Diseases of India, page 150. Johnson on the Influence of Tropical Climates, page 362.

labra sorde saepe obteguntur, et nonnunquam supervenit ischuria.

Deinceps tormina, tenesmus, et dolor subitò cessant; perstant tamen vomitio, et singultus.* Pulsus arteriarum fiunt frequentes, debiles, parvi, irregulares, intermittentes. Intestinorum sordes valde putridae, insciente homine, dejiciuntur. Petechiae aut vibices, vel vesiculae, aut pustulae acrem atque rodentem humòrem habentes, nonnunquam, sed perrarò, per cutem plùs minusve distribuuntur.† Facies aegri fit HIPPOCRATICA. Vis animi et vires corporis prostratae sunt. Artus tam superiores quam inferiores frigescunt. Sudor frigidus et glutinosus foedat corpus; et aegrum infelicem protinus aggrediuntur delirium, stupor auctus, tremores, tendinum subsultus, defectus arteriarum pulsûs, spirandi difficultas; nec oppugnatione absistunt donec vires vitae penitùs exhauriuntur,—et aeger animam efflat.

Cum tali conjunctione et successione signorum, qualem commemoravi, plus minusve constante, et perfecta, morbus, haud raro paucos post dies aut hebdomadam, lethalis est; et vix ultra diem decimum sextum, in hac forma unquam existit.

Si

* CLARK, page 217

† BONTIUS on the Diseases of India, pages 101, 102, 103. CLARK, p. 217, 3d Ed.

Si autem morbus, primo impetu, praesertim cum non gravis sit, arte medicinali oppugnatus esset, haud raro paucos intra dies feliciter debelletur, vel vertatur in fugam, et in stadium secundum seu chronicum. Viribus etiam naturae quamvis rarissime interdum succumbit.

Si primo in stadio, naturae vel artis viribus, morbus succubiturus est, tum et tormina, et tenesmus, et cruciamenta leviora fiunt; aeger in somni amplexus illabitur; sudor generalis, tepidus, et copiosus erumpit; et denuo, somno soluto, dejectiones alvi, et stercora biliosa, sine ullo fere dolore, haec signa tam salutaria subsequntur; aeger convalescit; et saepe ad sanitatem brevi penitùs revocatur.

Si morbus, e contrario, quovis modo in stadium secundum intrârit, non eo minus lethâlis sit. Nonnunquam, formâ chronicâ, est sitûs valde tenax, utpote non solum hebdomadas, sed etiam aliquot menses eum retinet; nec nobis deest exemplum, in quo perstitit Dysenteria, sine longa, vel forsan perfecta intermissione, annos duos, diutiusve;* et haud rarò, obstante fere nihil medicinâ, vitam extinguit.

In

Vide Clark's Observations on the Diseases of Long Voyages, &c. pages 256 to 258.

In stadio morbi secundo, febris, si ulla antè extitisset, vel penitùs evanescit, vel mitior evadit, aut, morbo inveterascente, novam sibi formam induit; et tormina et tenesmus leviora fiunt.

At praeter tamen naturam alvi dejectiones, intermissionibus plus minusve longis interpositis, saepe cum dolore, et tenesmo, et torminibus satis molestis, iterum iterumque renovantur. Excrementa alvi modò stercorea sunt, atque eorum dejectio affert aliquid levaminis, sed saepe haud diuturnum; modò, et saepissme, mucosa, seu limosa et albida, vel variis coloribus imbuta; modò massulis pinguibus, aut materiâ caseo haud absimili admista; modò sanguinolenta, aut saniosa; modò, praecipue in morbo implacabili, inexorabilique, et ad finem versus, loturae carnium similitudinem exhibent.

Torminibus et tenesmo, nunc mitioribus, nunc gravioribus, cum nonnullis dejectionum et excrementorum suprà memoratis, saepe annectuntur dysuria, dolor, rubor, secretio muci viscidi, aut levis exulceratio glandis, praeputiique, phymosis, haemorrhois, ani procidentia, et dolor ani perpetuus, aut unius alteriusve partis abdominis; quibus oportet in gravidis abortum adjungere, nec non in priore stadio.* Abdomen, quondam

 tumidum,

* Bontius, page 22.

tumidum, nunc saepe paulum detumescit. Etsi nonnulli gravitate, dolore, aut tumore jecoris regionis, aut praecordiorum plane afficiuntur; alii tamen nullas de his querelas effundunt, neque ea semper, quamquam existunt, separatim aut distincte sentiunt; sed in posterioribus inquisitio et investigatio medici nonnunquam haec omnia, vel unum saltem, aut alterum in lucem edunt.

Cibi appetitus varius est; si morbus durus fiat, tum cum nausea, vomitione, lingua squalida, atque siti, vel admodum imminuitur, vel aboletur; si autem fiat mitior vel paululum quiescat, tum interdum supra modum augetur, et aegrotus saepe, nec sine incommodo, famem explet. Quoties cibum potumque, praesertim calidum, irritantem, et intempestivum aegrotus devorat, toties vel saepius dejicit alvum, vel desiderio eam exonerandi aestuat. Interdum quoque victus fere omnis, quocunque modo sumptus, male concoquitur, alvum protinus irritat, dejectionesque movet, aut tenesmum accendit.

Si et natura et medicina parum aut nihil morbum oppugnarent, deinde omnia paulatim in pejus incidunt.

Macies magis ac magis indies increscit, viresque deficiunt, pulsus fit debilis, parvus, creber;

calor

calor vesperem versus paululùm augetur; sudor glutinosus circa caput et cervices interdum oritur. Abdomen haud raro, nisi tumuissent hypochondria, aut ascites supervenerit, cum cute rugosâ, sese magis contrahit. Facies fit magis pallida, lurida, atque collapsa. Nonnunquam adeo est stomachi aut ventriculi, aut aliarum partium mobilitas, morbo continŭo progrediente, ut cibus et potus qualescunque, et quocunque in modo sumpti, saepe protinus ejiciuntur. Vomitionem et comitatur et insequitur singultus. Alvi excrementa evadunt liquidiora, et odorem putridum emittunt, ac demum insciente aegro elabuntur. Urina vel inscite redditur, vel in vesica retinetur, vel penitùs supprimitur. Aeger fere motu voluntario destitutus, corpore resoluto, supinè succumbit. Pulsus evadit frequens, irregularis, intermittens, deinde admodum languescit, tum in carpo cessat.

Respiratio fit valde laboriosa, interrupta, abnormis. Extremis artubus frigus est, et sudor frigidus et glutinosus corpus oblinit.

Oculi nitore et motu privati saepe sursum vertuntur, levatores palpebrarum resolvuntur, et aspectus vultûs fit admodum horribilis; nunc demum aeger afflictus, partim fortasse ob usum opium et stimulantia extra modum adhibendi,

omni

omni sensu externo pene vel prorsus orbatus, interdum delirat, nonnunquam nervorum distentione huc illucque avellitur, et sacra vitae flammula, jam prope extincta, brevi penitùs dilabitur.

Si autem morbus magis adhuc inveteraverit, praecipue in corporis habitu macie atque debilitate laeso, aut longa commoratione in India nostra Orientali, aut quavis alia causa, tum aliquando incidit in tertium stadium, nimirum in lienteriam aut diarrhoeam colliquativam, et febrem hecticam, in quo, intestina, massae quasi argillae mollis, aut materiae inopis vi resiliendi, tactu sensum gignunt; et materiae, quas includunt, subter cutem siccam et rugosam et parietes abdominis collapsos manu, rursum prorsùm cum fremitu flatûs, facile propelluntur.*



DE SECTIONE CADAVERUM.

Cadaverum sectione hominum, qui morbo acuto, paucos dies a prima mali tentatione trucidati sunt, semper vel plerumque saltem compertum est,

* Curtis on the Diseases of India, page 129.

est, non modò sanguinis congestus factos esse in vasis meseraicis magnorum intestinorum, sed etiam eorum tunicas externas, vix secus quam internas, inflammatione, crassitudine, gangraenâ, vel sphacelo plus minus vitiatas.

In quibusdam tamen, nempe qui, tenera aetate, convulsionibus et morte subitanea, ob debilitatem et irritationem, corripiuntur, non possumus ullum intestinorum vitium detegere.

In his, contrà, qui lentis quasi ignibus intus macerati sunt, in secundo vel tertio morbi stadio, manifestum est intestinum colon praeter naturam modo inaequali contraxisse, et partes contractas vel totum intestinum magnum extrà ruborem insolitum habere. His sectis, omnes tunicae esse solitis crassiores, aut densiores, et rubrae observantur ; et interna, muco vitiato, sanguine, sanie, aut pure etiam, variè intertincta.

Squalore ex tunica interna abluto, tubercula parva detegimus, quae plus minusve conferta vel solitaria per totum fere colon aut rectum distribuuntur, quae ad ilii partem usque nonnunquam sese extendunt, et intestina magna quodammodo angustant.

Haec tubercula quod ad magnitudinem imparia, instar autem sunt variolae pustularum, nec in

forma

forma ab his multùm variant, et videntur situm habere in tunica nervea, ut vocatur, inter tunicam nempe musculosam et villosam. Horum alia integra, rotunda, et rubra sunt; alia subrubra cum apice fisso, et materiam in partibus interioribus caseo haud absimilem ostendunt. In nonnullis, materiâ hâc peculiari demum expulsâ, cavum augetur, margines prominent, et fundus foveae inaequalis et scaber est, ex qua, sanies aut materies purulenta sanguine tincta nonnunquam exudat.

Aliquando etiam ulcera parva vi exedendi praedita observantur, et praeterea intestinum apparet hic illic quasi tunicâ villosâ orbatum. Nonnunquam, sed perrarò, pars una vel altera sphacelo corrupta est. Interdum etiam inflammatione, rectum partibus vicinis annectitur.

Hepar et glandulae mysentericae, plerumque, aut chronica inflammatione, aut aucta magnitudine, aut obstructione laesa sunt; et haud rarum est hepatis abscessum invenire. Vesicula fellis in uno cadavere, materiâ gelatinosâ plena fuit, quae amyli, aquâ fervidâ coagulati, speciem retulit.*

Postremò,

* Bontius on the Diseases of the East Indies, &c. p. 88.

Postremò, in cadaveribus hominum, qui morbo, in hoc stadio, devicti sunt, intestina magna vix aut ne vix quidem sine vitio inveniuntur.



DE CAUSIS PRAEDISPONENTIBUS.

Dysenteria omnes homines, tam nobiles quam ignobiles, sive adultos, sive impuberes et infantes, quocunque corporis habitu praeditos, et non solùm Europaeos et advenas, sed etiam incolas et Indos adoritur.

Audivi proceros et graciles, prae caeteris huic morbo esse opportunos, et, ni fallor, notavi morbum illis quam his magis pertinacem existere.

Foeminae, ut nobis narravit celeberrimus auctor,* Indiae epidemicorum mira immunitate fruuntur; et etiam ferè idem de infantibus et junioribus dictum est; haec autem minimè confirmata sunt.†

Morbus in nautis in loco atque ordine altis, quam in humilioribus minus frequens est.‡

Quibusdam

* Clark, page 81.
† Edin. Med. Journal, vol. v, page 394.
‡ Clark, page 117, 118.

Quibusdam in exemplis, corporis status atque conditio, quae Europae sunt, videntur haud parum et ortum morbi adjuvare, et saevitiam ejus intendere; quippe qui aliquando advenis, quam incolis aut Indis magis frequens et lethalis est.*

Haud tamen dubito, quod longa commoratio in India nostra Orientali, proclivitatem ad Dysenteriam multùm augeat; et omnibus bene notum est, qui hoc morbo olim laboràrunt, eos ex causis levioribus in eum promptiùs recidere; ex quo fit, ut nonnulli Dysenteriâ iterum iterumque adeo afficiuntur, ut vix unquam per aliquot annos sanitate penitùs gaudeant.

Etsi morbus homines omni tempore anni ingreditur, magis tamen frequens et funestus est in aestuosa et pluviali, quam in sicca, serena et jucundissima hiemis tempestate; ita, exempli gratia, morbus apud Bengaliam a mense Augusti ad Novembrem, et ad Bataviam a Septembri ad Februarium saevit, et strages saepe longè latèque edit; dum contrà in tempore hiemali vix unquam epidemicus aut periculosus est.† Quanto calidior et

* Clark, page 80, 88. Sir J. M'Gregor, Ed. Med. Journal, vol. i, p. 278. Ed. Med. Journal, vol. v, p. 394.

† Clark p. 87, 88, 89.

et humidior sit aër, tanto gravior est et febris, et Dysenteria.*

Dysenteria, et febris remittens et intermittens, multò magis frequens et fatalis est in locis terrae humilioribus et paludosis† et sylvosis, quam in altioribus, siccis et sterilibus; hinc apud Bengaliam et Bataviam morbus valde exitiosus. Memoratu haud indignum sit, ut utrique morbi modò eisdem, modò diversis hominibus simul obveniant,‡ ac modò omnino dissocientur, vel unus superveniat alteri.§ Hujus posterioris licet exempla proferre.

In nave Regali *Scipion* nominata, nec minus tota classe, apud Bataviam, mense Augusti et Septembris, anno 1811, saeviebat Dysenteria, et valde lethalis erat; eo tamen tempore, febres tam remittentes quam continuae prorsùs defuerunt, et tres solùm intermittentes nobis obvenerunt.

In Portu apud Bengaliam, (*Diamond Harbour*) mense Octobris, anno 1809, in nave quâ tum vehebar, febris remittens, ut vocatur, primùm nautas urgebat, deinde, febre cessante, supervenit Dysenteria.

Nequeo dubitare, quin aliquando ad Dysente-

* Clark, p. 104.

† Ibid. p. 104. ‡ Ib. p. 87, 88. § Ib.

riam gignendum haud parum confert et inflammatio, et aucta magnitudo, et obstructio hepatis :* Sectiones autem cadaverum haud demonstrant jecur semper esse laesum ;† et in quibusdam exemplis, in quibus morbosum est, hepatis laesio, et Dysenteria ex iisdem causis oriri possint.‡ Fatendum est tamen in multis, nobis, aeque ac aliis, potius videri effectum esse chronicae Dysenteriae, aut febris, quam originem aut mali fontem.§

Exercitationes immodicae sub divo, sole ardente, ad meridiem versus, frigus nocturnum aliasque causas excitantes haud parum adjuvant ; sed ardor caeli ipse ne pollet quidem ad morbos gignendos, ut experientia illustris medici nobis luculenter ostendit.||

Lugendum est quoque, quod Dysenteria aliquando, nec raro quidem, partim fortasse ob debilitatem, partim quoque ob viscerum obstructiones, homines adoritur, qui a febre vix incepe-runt

* Curtis, p. 91 ad 96. Johnson, 277, et seq. Ib. 308. Sir James M'Gregor, Ed. Med. Journal, vol. i, p. 278.

† Ib. p. 287. Ed. Med. Journal, vol. v, p. 398.

‡ Ib. vol i, p. 278.

§ Clark, p. 88. et 273, ad 283. Curtis, p. 96, ad 98.

|| Sir James M'Gregor in Ed. Med. Journal, vol. i, p. 278.

runt vires recuperare, et haud rarò eos de medio tollit.*

Diarrhoea, cholera, et colica si neglectae fuerint aeque ad Dysenteriam spectant, et in eam identidem ingrediuntur,† eorumque tentationes, quae tempore sicco et sereno interdum sese ostendunt, aditus morbi crudelioris, tempestate aestuosa, forsitan haud parum juvent.



DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Auctores hujus morbi varias causas excitantes enumerârunt, quorum aliae efficacitatem majorem, aliae minorem, vel nullam habent.

Cibus pravus, ni fallor, haud ineptè inter causas excitantes commemoratur,‡ et cujus efficaciae nunc mihi liceat forsan exemplum adjicere.

Anno 1810, apud Javam, in nave oneraria, (*a transport,*) plures militum Indiae (*Seapoys*) gravissimè Dysenteriâ afflictos, et unum quidem moribundum

* Clark, p. 88. † Ibid. p. 9, 10.

‡ Bontius, p. 105. Curtis, p. 120, Ed. Med. Journal, vol. v, p. 394.

moribundum vidi, cujus tunc temporis non ullam causam detegere poteram, nisi usum pisi (*gram*) neque igne molliti, neque in ullo modo conditi, sed duri et sicci, et concoctu difficillimi ; et aquae, quibus solùm aliquandiu aliti et sustenti fuerunt; ob diram quidem superstitionem, quae omnes impulerat, dum a continente Indiae terra vehebantur, omnem cibum idoneum, sive assum, sive elixum, aut manu, aut foco alieno praeparatum, pejus cane et angue aspernari. Et observatum est quoque, nautas, et reliquos ibi navis secunda valetudine frui.

Aqua etiam putrida, aut subsalsa, pariter ac cibus pravus ad morbum ciendum pollere videtur.* Hujusmodi quoque exemplum vidi in navicula, quam inter Insulas Madagascar et Mauritius vulgò nominatas prehendimus, sexaginta quatuor servis onerata, quorum multi gravi Dysenteria laborârunt, et octo brevi, oppugnante medicinâ, diem obiêrunt supremum; et omnium victus, sive secunda, sive valetudine adversa fruebantur, ex parva oryzae quantitate bis in dies, et aqua subsalsa solummodo constabat. Sed ne silentio quidem praetereundum est, quod inter foros, in spatio incredibiliter parvo inclusi sunt, ubi utrique sexus, miserabile

* Bontius, p. 104, 105.

miserabile visu! moerentes, demissi, et afflicti, inter se volutantes in sorde atque humore, et vix cum ullo vestitu, nobis spectaculum acerbum quidem et luctuosum obtulerunt, quod tempus obliviosum vix unquam ex animo delere possit. Memoria etiam dignum est, etsi Navarchus, humanitatis causâ, pluribus aegrorum in nave nostra (*the Harpy*) tectum praebuit, et homines ad naviculam, tam eam gubernare quam miseris animos addere, misit; nostros tamen nautas et venalitios odiosos Dysenteriâ, sed minimè scabie, aut lue venerea intactos fuisse.

Fructus varii dissimilesque eam interdum incitare videntur;* et ebrietatem, et usum laticum fortiorum, praecipue liquoris inebriantis et exitiabilis, qui apud Indiam "*arrack*" appellatur, inter causas primarias enumerare licet.†

Sed inter vulgatissimas et potentissimas causas excitantes, subitas caeli caloris mutationes, dierum ac noctium vicissitudines, äeris humorem, nebulas, roresque nocturnos, imbres, pluvias, ventos frigidos; et denique frigus, aut frigus et humorem corpori

* Bontius, page 15, 148, 149, 151.

† Bontius, page 16. Sir James M'Gregor Ed. Med. Journal, vol. i, page 279. Ed. Med. Journal, vol. v, page 394. Curtis, page 120, 121.

corpori, praesertim quieto, sudanti, ardore caeli interdiu aestuato, aut gravi labore defatigato, vel ebrietate languido, quocunque modo illata, omnes uno consensu enumerârunt.

Nullum contagionis indicium in hoc morbo unquam notavi; sed contrà omnia, Invitâ Minervâ, confirmârunt non solum mihi, sed etiam persuaserunt eam, in Dysenteria quam vidi, nunquam extitisse. Meum est pauca exempla breviter summatimque memorare.

Uxor hominis *(the boatswain's wife)* in cubiculo satis quidem parvo, apud Bataviam, mense Septembris, anno 1811, in nave de qua suprà mentionem feci *(the Scipion)* Dysenteriâ graviter aegrotabat, maritus tamen, et infantes duo cum famulo bene se habuerunt.

Nulli quatuor medicinam ibi navis facientium, aut ministrorum quatuor aegrotorum, hoc morbo conflictati sunt, tametsi posteriorum omnes latrinam ipsam aegrotorum frequentâssent.

Etsi primarii navis ex officio aeque ac causâ humanitatis, lectum aegrotorum saepe visitârunt, omnes tamen viguerunt.

Et ingenui juvenes, et aegrotantium familiares, quos humanitas, aut amicitia saepenumero ad focum

cum mali impulerant, haud saepiùs quam alii aegrotârunt.

Hospitium praebuimus, anno 1812, apud Mauritium, in nave regali, *(the Harpy,)* obstante medico in arte medendi ibi loci peritissimo, sexdecim captivis Americanis, quorum octo Dysenteriâ Chronicâ aegrotabant, quâ apud Bataviam affecti sunt: nullum tamen malum neque nobis, neque nautis duarum navium impertierunt, quibus, dum convalescebant, iter ad promontorium Africae australe fecerunt.

Exemplum quoque Dysenteriae Indiae militum,* et fortasse etiàm id servorum† suprà memoratum citare licet.

Et si his omnibus opinionem, quae majorem habet auctoritatem, recentiorum, et celeberrimorum auctorum, et medicinam ibi facientium adjungamus, vix dubitare possimus Dysenteriam Indiae Orientalis rarò quidem, si unquam, esse contagiosam.

DE-

* Vide pag. 19, 20. † Pag. 20, 21.

DE RATIONE SIGNORUM.

Omnia symptomata, causae remotae, res juvantes et laedentes, et praesertim sectiones cadaverum hominum Dysenteria peremptorum, naturam morbi inflammatoriam, vel saltem magnam ad eam proclivitatem, satis superque ostendunt.

1mo, De Signis Inflammationis Internae.—Notae inflammationis partis externae in aprico sunt, rubor nempe, et tumor, cum calore, et dolore; sed haec omnia nequaquam in partibus internis, homine vivo, aperta sunt; quare medici, intento animo, signa aegrotationis partium internarum observârunt, eaque literis mandârunt; et, hominibus extinctis, corpora inciderunt, eorumque viscera et intestina scrutati sunt, et hoc modo, sapienter et considerate, diagnosin morborum stabilire conati sunt.

Certissima internae inflammationis signa, quae ex his fontibus hauserunt, sunt dolor in situ unius aut alius organorum, functione partis ipsius simul laesâ, nonnunquam tensio aut tumor, aut dolor compressione auctus, plerumque febris, et saepe glutinosa et subalbida sanguinis missi superficies. Et nemo dubitat Dysenteriam, vix secus ac quemvis

vis alium morbum inflammatorium, haec fere omnia signa exhibere.

2do. De causis remotis.—Omnes causae Dysenteriae sanguinem intestinis et vasis mysentericis cumulant. Nonnullae membranam intestini mucosam irritant, stimulantque ; quare modò alias causas adjuvant, aut affectionem morbidam intendunt, modò eam omnino excitant: hujusmodi sunt materiae acres qualescunque, vel in intestina immissae, aut ibi genitae; cibus nempe, potusque pravus, aut materiae ob pravam concoctionem acres factae, acor bilis, aut fortasse muci intestinalis ipsius, aucta bilis secretio, remora stercoris, et similia.

Aliae, et longè frequentissimae causae hujus morbi, multum sanguinis a corporis superficie, ad partes internas, manifestè repellunt ; e. g. frigus, aut frigus humori conjunctum, et corpori sudanti illatum ; sed hae causae, catarrhum, pneumoniam, rheumatismum, enteritidem, et multos alios morbos excitant ; quos omnes uno ore inflammatorios nominârunt. Causae itaque nostram de morbi natura opinionem haud refellunt, sed potius eam confirmant.

3tio. De Rebus Juvantibus et Laedentibus.—Diaeta, et regimen antiphlogisticum, ut vocatur,

catur, frigore excepto, tam in hoc, quam in aliis morbis inflammatoriis, non solum in primo stadio idoneum, sed etiam ad morbum debellandum saepe omninò necessarium est; et contrà omnia quae inflammationem adaugent, hunc, pari passu, incendunt.

Postremo. De sectione cadeverum.—A sectionibus cadaverum, quae longè optima naturae et sedis morborum testimonia praebent, constat eum de quo tentamen est inflammatorium esse, et situm imprimis habere in tunica villosa magnorum intestinorum; sed nihil obstat, ne inflammatio ad partes vicinas serpat; hinc ratio in promptu est, cur in propria sua sede non semper contineatur, sed in reliquas tunicas, aut ulteriùs saepe obrepat.

Congestus sanguinis in vasis meseraicis, morbo ineunte, haud semper fortasse, pari passu aliis inflammationis signis comitatur; hinc morbi tentationes saepe depulsae sunt et "tutò, et citò, et jucundè."

Fatendum est tamen, ut res saepe aliter longè eveniat, quia congestus in inflammationem confirmatam citò mutatur, et revera in phlogosis natura ponitur.

Hoc congestu sanguinis et inflammatione, secretiones

cretiones tunicae internae intestinorum praeter naturam mutatae sunt, ut in catarrho, cynanche tracheali, opthalmia, aut inflammatione cujusvis membranae muscosae; eodem fonte et origine dolor, febris, spasmi haud solùm fibrarum musculosarum intestini, sed etiam interdum diaphragmatis et musculorum abdominis, tormina et tenesmus, et in gravi morbo summum aegroto cruciamentum, et gangraena oriuntur. Interdum inflammatio, aut spasmus ad vesicam sese extendunt, et dysuriam vel ischuriam gignunt.

In morbo provectiore, intestina magna pari ratione exulcerata sunt; hinc aegrotus modò saniosam, modò sanguinolentam materiam dejicit.

Ratio cur malum intestina magna potissimùm infestat, videtur partim ex his provenire, quod receptacula sunt faecum et acrium, quae ea stimulant, ideoque, quantitatem sanguinis ibi loci in vasis minimis augent; et bilis, et faeces fortasse per totum descensum, ad anum usque, fiunt magis magisque acres.

In Dysenteria observatum est, auctore celebri, quod non solùm cutis, sed etiam hepatis secretio, ob torporem, (forsan spasmum,) prava, nonnunquam impedita, vel penitùs suppressa est;* sed hepar

* Johnson, p. 354, 355, 356.

hepar quoque, modò ante hujus morbi impetum inflammatione, aut aucta magnitudine, aut obstructione laesum est, et modò hepatis inflammatio unà cum Dysenteria, et forsan iisdem vel similibus causis oriatur: ex quibus fit, quod congestus supra memoratus haud parum augetur.

Laesiones et vitia hujus visceris saepe effectus sunt Dysenteriae, et videntur ex parte excitari congestu sanguinis aucto et serpente, atque vasorum mysentericorum et portae debilitate, et relaxatione; et spasmis tam intestinorum, quam musculorum abdominis et septi transversi, quibus sanguis portae quantitate et momento immodico in jecur iterum iterumque impellitur; hinc irritationis causa, quâ et hepatis inflammatio, et obstructio, et abscessus cum sanguinis fluxu ab intestinis per diapedesin, et febris lenta partim exoriuntur.

Probabile et quasi verisimile est, quod, inveterascente morbo, sanies ulcerum intestinorum acris, venis mysentericis absorpta,* et in jecur vecta, nonnunquam hujus visceris irritationem et inflammationem excitet, vel eas exasperet.

Congestus sanguinis, aut inflammatio serpens ab

* Vide Précis Elémentaire de Physiologie, par MAGENDIE, cap. *Absorption veineuse,* tom. ii, p. 229.

ab intestinis, aut acris materia vasis sorpta, obstructiones, et vitia glaudularum mysentericarum haud raro gignunt.

Etsi causa ulcerum peculiarium intestinorum, et formationis materiae caseae perobscura est, actio tamen est absorbentium morbosa, et secretio peculiaris; et latet fortasse in structura, situ, nexu, et functione partis ipsius; et conditione, statu, et progressu inflammationis; et natura causarum remotarum; et habitu corporis;—rebus subtilibus, et ne quidem facilè prehensis.

Causae mortis variae et diversae sunt, sed ne quidem singulares; in morbo acuto, inflammatione, febre, et gangraenâ, nisi in infantibus convulsione et morte subitanea correptis, oriuntur; in morbo provectiore, ulceratione intestinorum, rarò gangraenâ, vitio hepatis, aut glandularum mysentericarum, febre lenta, concoctione pravâ, corporis nutrimenti imminutione vel defectu, marcore, astheniâ; quorum rationes haud obscurae sunt.

DE DIAGNOSI.

Dysenteria medico, vix aut ne vix quidem quovis alio morbo, praeter diarrhoeam aut choleram confundi potest.

Alvi excreta parca, mucosa, glutinosa, nonnunquam sanguinolenta, tormina et tenesmus, cum vel sine febre, eam a diarrhoea plerumque satis distinguunt. Aliquoties, tamen, diarrhoea paulatim in Dysenteriam convertitur, et haud scio quomodo inter eas certos fines terminosque constituere.

Impetu quoque morbi subitaneo, nausea et vomitione pergravi, spasmis surarum frequentioribus et molestioribus, specie excrementorum, dejectionibus cum vix ullo tenesmi comitatis, exitu morbi celeriore, et febris absentiâ, cholera a Dysenteria facile secernitur.

DE PROGNOSI.

In hoc, aeque ac in aliis morbis, aetate, habitu corporis, vi et spatio, et iteratione morbi, et medicamentorum

dicamentorum effectibus, de exitu fausto vel infausto judicandum est.

Sed quoniam in historia morbi, signa quae exitum comitari solent tam faustum, quam infaustum, magnâ ex parte depingere tentavi, nunc mihi liceat, perpaucis verbis praemissis de signis eventûs felicis in stadio morbi secundo, et de tertio generatim, prognosin praeterire.

In stadio secundo, si tormina et tenesmus leviora fiant, dejectionesque minus frequentes, excrementum magis naturale, et lingua humida et nitida, et cutis mollis cum apto halitu, et homo incipiat vultûs dignitatem aut venustatem, et vires et habitudinem recuperare, licet sperare eum gremio sanitatis brevi restitutum iri.

Si autem aegrotus infeliciter in tertium morbi stadium incidat, tum quidem de eo plerumque actum est.



DE RATIONE MEDENDI.

Quoniam morbus, praemissis rite perpensis, videtur esse inflammatio membranae mucosae magnorum intestinorum, ex quo fonte omnes obstructiones

tiones atque vitia tam ipsius quam aliarum partium, et omnia mala plerumque oriuntur, oportet eam quamprimum, summa vi, oppugnare.

Missio sanguinis certè efficacissimum remedium est, in omnibus fere morbis inflammatoriis, et in hoc etiam, si aegrotus aetate floreat, et robustus sit, si dolor fixus adsit cuivis abdominis parti, aut tormina et tenesmus eum crucient, aut abdomen fiat tumidum et tensum et levi tactu doleat, aut multum sanguinis ab intestinis dejiciatur, aut febris gravis et pulsus durus sit, omnes consentient hanc non solum idoneam, sed etiam, ad morbum debellandum, necessariam esse.

Si, contrà, signa omnia leviora sint, et praecipue si febris formam typhi induat, periculum, aut gignendi debilitatem et putredinem, vel iis favendi, et mortem ipsam invitandi, usu hujus remedii aestimabilis nonnullos absterreat. Sed effectus morbi ipsius, ni fallor, multo magis metuendi sunt, quam sanguinis missio tempestiva et apta; et medicina tam militari quam nautica comprobatum est, eam in febre ubicunque fere gentium, imo etiam in synocho et typho Britannico ipso, cum fructu, vel sine ullo saltem periculo, posse adhiberi.

Quare

Quare, sub morbi initium, in omni Dysenteria gravi, si vires aegroti sinant, sanguis copiose et audacter mittendus est; et, si febris, aut dolor, aut alia signa postulent, iterum iterumque detrahendus. Sed in mitiore affectione venaesectio saepe haud necessaria est.

Quoties venaesectio me teste adhibita fuit, vel ea ipse egomet usus sum, toties dolorem mitigavit; et in uno exemplo, sed apud Africam australem, aegrotus, gravi Dysenteria afflictus, visus est eripi a faucibus Orci ipsius, plena et repetita sanguinis missione, meo amico Doctore DUKE, in nosocomio regio navali apud Africam australem chirurgo perito.

Fatendum est nihilominus, quod in regionibus calidioribus raro vidi sanguinem missum in hoc morbo, quod valde lugendum est.

Plethora generali aut congestu sanguinis in vasis mysentericis, et inflammatione hoc modo imminutis, oportet alvum adeo ducere *Catharticis* mitioribus, ut acria dejiciantur, et secretiones tam hepatis, quam intestini ipsius mutentur, et quantitate augeantur, et actiones novae, sed ne quidem periculosae excitentur.

Hujusmodi medicamenta, quae experientia com-

probavit, sunt Submurias Hydrargyri mitis, Oleum Ricini, et *Sales Medii* precipue sulphas magnesiae.

Ideò grana decem submuriatis hydrargyri statim, deinde, horis circiter tribus elapsis, solutio sulphatis magnesiae in portionibus repetitis, vel Oleum Ricini, quod omnium optimum est remedium, in dose unciae vel in majore, et, si opus sit, iterata quantitate, adhibenda sunt donec alvus rite soluta sit.

De posterioribus medicamentis, et praecipue de oleo ricini, memoria dignum est, ut saepe dolorem et tenesmum ante allevent, quam alvum liqueant. Enemata quoque emollientia cum fructu usurpantur.

Eodem tempore cum his oportet nos uti, si in manibus sit, balneo tepido; et fomenta tepida, aut vesicae aquâ tepidâ semiplenae, ventri assidue applicanda sunt. Fomenta quoque tepida ad anum admota et dolorem et tenesmum mitigant, quare nequâquam negligenda sunt.

Aegrotus debet quamprimum inire lectum, in cubiculo vel valetudinario apti caloris, et sese operire quibus decet stragulis, nec eo minus trahere aëra purum, et ebibere decocta tepida oryzae vel hordei, aut similia liberè, tam ad sudorem eliciendum, quam ad acria diluenda; et revera, diluentia

entia per totum fere morbi decursum necessaria sunt.

Si haec parum aut nihil impediverint, ne pergeret et ingravesceret morbus, et praecipue si dolor abdominis, et tormina urgerent, tum emplastrum cantharidis vesicatoriae magnum ventri illico imponendum est, quod saepe aegroto, sine ullo detrimento, multum affert auxilii.

Si haec tamen medicamenta haud multum aegrotum adjuvent, vel spem medici omninò fallant, tum demum, febre et *diathesi phlogistica* missione sanguinis imminutis, confugiendum est sine mora ad hydrargyrum, medicamentum quod ritè adhibitum inaestimabile est. Forma optima medicamenti, quam experientia approbavit, est submurias, quem satis erit plerumque in portionibus trium, quatuor, aut quinque granorum tertiâ quâque horâ adhibere, quibus licet interdum adjungere opium, aut opium et pulverem antimonialem, tam ad sudorem faciliùs eliciendum quam effectum ejus catharticum minuendum; et eum continuare oportet, donec gingivas affecerit, et fluxum salivae excitaverit. Nonnulli potius confugerunt ad unguentum hydrargyri; et auctor haud parvi nominis, et alii submuriatem in quantitate scrupuli ter indies adhibuerunt. Sed hae

doses

doses rarò quidem necessariae sunt, et fortasse interdum periculosae; et, utcunque ceciderint, in uno saltem exemplo pergravis Dysenteriae metu exanimatus fui, ne hujusmodi dose mortem aegroto attulissem; sed peritiâ Doctoris DUKE, et missione sanguinis iterata, tam morbo, quam medicamenti effectibus feliciter tandem liberatus est.

Fatendum est tamen, et in hoc, et in aliis morbis, quod jam olim vidi medicum, qui submuriatem hydrargyri mitem non solum in portionibus scrupuli, sed etiam granorum viginti quinque ter indies adhibuit, et nihil obstitit, ne interdum aegroti ad sanitatem cito redirent.

Paulo post ptyalismus, in morbo recente actione hydrargyri ortus est, tormina, tenesmus, aliaque morbi signa vel mansuescunt, vel penitùs subsidunt, alvi excreta fiunt biliosa, copiosa, et stercorea, cutis fit magis naturalis, aut sudor generalis et tepidus erumpit; et, sine alio quovis auxilio, nisi diaetae idoneae et medicamenti, ut olei ricini prout res poscat, quod alvum leniter eliciat, et obstare possit ne acres materiae, quibûs morbus renovetur, intestinis inhaereant, aegrotus brevi ad pristinam sanitatem restituitur.

Cibus in primo stadio morbi debet esse mitissi-

mus;

mus; pulticula, scilicet panado, ut vulgo appellatur, vel ea ex faecula cycadis circinalis, orchis masculae, marantae arundinaceae vel similibus parata maxime conveniunt, quibus licet, homine convalescente, jusculum et carnes animalium paulatim adjicere.

Potus optimus est decoctum oryzae tenue, vel avenae sativae, vel hordei distichi cum acaciae Arabicae gummi, vel aqua cui panis tostus adjectus est.

Oportet hominem tam convalescentem, quam aegrotantem, abdomen fasciâ laneâ circumdare, et sese tenere in cubiculo aut valetudinario caloris quam temperati, nec se adeo operire quidem, ut non possit aëra purum et suavem trahere, vel si prodiret, fervorem, frigus et humorem caeli evitare, et ne quidem sine commoda veste exire limen.

Omnibus rebus praedictis, quae ad curationem primi stadii pertinent, vel mihi in mentem veniunt, nunc jam ad secundi ingrediar.

Sed quia saepe in hoc stadio, et in morbo inveterato, hepar non solum in munere impeditum est, sed etiam plerumque in structura laesum, intestina magna ulcerosa, crassa, densa, et praeter naturam aliter mutata; et glandulae mysentericae

magnitudine

magnitudine auctae et induratae, corpus macie corruptum, vires aegri multùm imminutae, et febris lenta adest, fatendum est medicinam ne semper quidem aegro sanitatem promittere; at, natura tamen adjuvante, interdum miris verò effectibus pollet, quare nec decet spem abjicere, nec omnia medicamenta aspernari, sed oportet tam arti, quam naturae aliquatenùs fidere, et ea, quae ad rationem et experientiam, in hoc, et in aliis hujusmodi morbis, responderunt, quam diligentissime adhibere.

Omnibus bene notum est, medicamenta hydrargyri, in multis permolestis et inveteratis ulceribus, et in quibusdam chronicis inflammationibus, et in glandularum viscerumque aucta magnitudine et obstructione, nec minus in hoc stadio affectûs, de quo tentamen est, optima remedia esse.

Sed quia vires saepe perinfirmae sunt, et medicina in hoc stadio perseverantiâ potius quam impetu morbum devincit, necesse est, eam facere majore quam in priore stadio cautione. Quamobrem oportet plerumque ptyalismum perstudiose praecavere, et submuriate, vel nonnunquam, unguento hydrargyri talibus tantùm uti portionibus, qualibus opus sit ad affectus ejus evidentes atque peculiares gingivarum ciendum, vel ad salivam

lenissime

lenissime movendam. Ideo grana duo Calomelanos omni nocte, vel secunda quaque nocte, vel grana duo vel unum ter quaterve indies, vel unum omni vel secundo quoque die, vel Unguenti drachmae dimidium vel drachma, singulis vel alternis diebus, pro re natâ, administranda sunt.

Modus operandi hujus medicamenti minimè in aprico est. Effectus hujus evidentes tam in hoc, quam in aliis morbis sunt, bilis secretionem insigniter augere atque mutare, alvum purgare, structuram morbosam variarum diversarumque partium nonnunquam demovere, ulcera conglutinare, actionem cordis arteriarumque modò stimulare atque instigare, modò eam compescere, prout sit hominis conditio; secretiones et excretiones ferè omnes variare, et sanguinem aequabiliùs distribuere, vel eum in majore solito quantitate ad alteros rivos propellere, quippe quod halitum cutis, aut sudorem elicit, urinamque interdum praeter consuetudinem movet, et, si pervaleret, salivâ et humoribus suis os inundat; motus quoque abnormes reprimit, sensum auctum et dolorem imminuit vel dimovet.

Hydrargyri denique medicamenta certè sui generis morbum gignunt, qui alios saepe depellit, qui ipse denuo sine morbi redintegratione naturae

succumbit;

succumbit; sed in quo modo mutationes tam salutares, tamque optabiles efficiuntur, mihi non liquet.

Si solito magis urgerent tormina aut tenesmus, tum paulum Olei Ricini vel sulphatis magnesiae, vel enema emolliens alvum leniter elicit, materias acres atque excitantes ejicit, et multum saepe praebet allevamenti, quare prout res postulet, repetenda sunt. Fomenta quoque tepida ne huidem inutilia sunt.

Si cujusdam abdominis partis dolor fixus aut acris sit, fomentis simul tepidis frustra adhibitis, emplastrum cantharidis saepe dolorem submovet.

Astringentia fortiora, opium, et pulvis ipecacuanhae et opii, si aeger admittit medicinam, nisi in diarrhoea sine structura morbosa, plerumque aliena et quidem contraria sunt.

Quibusdam *Americanis* captivis, Dysenteria Bataviae chronicâ laborantibus, pulveris ipecacuanhae et opii doses exiguas ter in dies, gingivis simul submuriate hydrargyri affectis, sine ullo fructu adhibui.

E contrariò medicamentum nunc mihi visum est tam tenesmum quam dejectiones incendere, nunc ea, sed per breve quidem tempus, sopire; sed in posteriore exemplo dolendum est, quod morbus,

cum

cum anorexia, nausea, aut vomitione, lingua squalida, siti, pulsu arteriarum excitato vires ejus redintegravit, et rediit. His tamen omissis, ope pulveris Rhaei granorum duorum vel trium, et infusi Quassiae Excelsae unciae ter indies, cum Submuriate Hydrargyri, intra hebdomadas quatuor vel quinque omnes sanitate penitùs gaudebant, nec in morbum post plures menses reciderunt.

Fascia lanea, et vestitus idoneus, et cibus potusque ut in priore stadio aeque necessaria sunt. Nec minus inepta est cubiculi, aut valetudinarii, aut Jovis temperies; sed lugendum est haec omnia vix aut ne vix quidem obtineri posse.

Si haec omnia sine ullo fere remedio atque allevamento aegro administrentur, et tenesmus et tormina die noctuque eum inquietent aut fere excrucient, tum quidem necesse est ad opium confugere, quippe quod optimum medicamentum est tam dolorem sopire, quam motus abnormes reprimere; sed perstudiose oportet praecavere, ne materiae acres intus inclusae sint, quae nunquam non exasperant malum.

Quamobrem vel haustus tincturae opii, vel pilula opii, vel quod melius est, enema ex tinctura opii, vel opii granum unum, vel duo, tres, vel quatuor per anum, oleo ricini vel quovis leni *cathartico* pro re natâ interposito, adhibenda sunt.

Fomenta quoque tepida ad anum iterum iterumque applicata, nequaquam ingrata sunt.

Cum vires aegri defecerint, tum decet eas vino, gratis aromatibus, cibo nutriente, et parum irritante, praecipue gelu animali, quam maxime sustentare.

Si autem, oppugnante omni medicina, inveteraverit malum, et aeger ad Orcum spectet, haud absurdum erit, si Europaeus sit, eum suadere, concedente morbo, moliri in caelum magis propitium transire, patriae iterum carpere vitales auras; quia mutatio ipsa caeli haud parum confert ad vires reficiendas, nec spes revisendi dulcia domi nunquam non animo minus grata, quam corpori salutaris est. Quoniam hepar morbo inveterato, plerumque laesum est, haud adversum erit fortasse, nec alienum, si aeger Britannicus solum natale beatè attigerit, uti aquis nativis *Cheltenhamiae.*

Nonnulli multùm laudârunt acidum nitricum cum vel sine opio; quare, si medicamenta hydrargyri et alia spem medici frustrata, tum quidem liceat, auxilium ejus experiri; tantum quantum valere possit. Alii haustus solutionis Sulphatis Zinci, vel Supersulphatis Aluminae adhibuerunt; sed de eorum effectibus nihil pro certo habeo.

Clysteres

Clysteres tamen ex his adhibui, sed hi plerumque oleum addere camino mihi visi sunt.

Si aeger miserabilis in tertium morbi stadium inciderit, plerumque conclamatum est. Sed cum aliis medicamentis suprà memoratis, frictio ventris panno laneo, cibus nutriens et aromatibus conditus, nempe *curry*, ut apud Indiam nominatur, Quassia Excelsa, Simaruba et similia, quae amara et tonica appellantur, aromata pergrata, enemata aut medicamenta, prout res postulet, quae alvum leniter ducant; vinum, latices quoque fortiores citra ebrietatem, mutationes caeli ;—omnia denique quae vires reficiant, alvum roborent vel motum ejus naturalem excitent, sedulo adhibenda sunt.

Quod ad *Prophylaxin* attinet, nunc mihi licebit breviter absolvere. Omnes homines, qui student sese immunes esse Dysenteria, et sanitate penitus frui, summa ope niti oportet, causas remotas praecavere, et praecipue paludes pestiferas, humilesque Indiae partes, et silvas densas evitare ; latices omnes fortiores, cibum vel potum irritantem, praeter *curry*, vel concoctu difficilem, ingluviem, frigus, terram vel aëra humidum, subitas caeli mutationes effugere ; alvum neque nimis laxam neque adstrictam tenere ; et indusio laneo uti.

FINIS.